

16









MEDICATIO DUARUM ÆGRARUM,

QUARUM UNA

SINGULTU;

ALTERA

VOMITV DIVTVRNO:

LABORAT:

QVAM

Divino adjuvante Numine,

SUB PRÆSIDIO

*Viri doctrinâ & experienciâ clarissimi,*

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ

ac Botanices Professoris Ordinarii,

*Publicè ventilandam proponit*

HIERONYMUS FRANCK, Leovardienſis.

*Ad diem 10. Martij horâ locoque ſolitis.*



*Natura & Industria*

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK, In Acad:

Typog. Anno 1649.







*Rare pietatis fidelitatisque Viro,*

D. IACOBO HENRICI, Avo Curatorique  
meo plurimum colendo.

D. HENRICO POPTA,

D. LEONARDO POPTA,  
Avunculis omni honore dignissimis.

D. THEODORO SAECKMA,  
Senatori apud Frisios gravitate pietateq; insigni.

D. HENRICO REGIO, Medico & Phi-  
losopho experientissimo, Reipublicæ Ultrajectinæ  
Poliatro, Medicinæ ac Botanices Profess. dignis-  
simo, Præceptori meo, omni semper honore  
prosequendo.

*Hoc exercitium Medicum in debita observan-  
tia, amorisque meriti signum*

Offero & inscribo

HIERONYMUS FRANCK



MEDICATIO PUELLÆ  
SINGULTU DIVINO  
FATIGATÆ.

THESIS I.

**P**Uella, tredecim annos nata, jam ab integro anno laborat singultu admodum molesto, qui quater vel quinquies in die, nunc per quadrantem horæ, nunc per horam dimidiam, durat. Totâ præcedente hyeme hoc symptomata ipsam graviter afflixit; æstate verò ab eo fere fuit immunis; ita ut per longa intervalla interdum tantum rediret. Adventante autumno rediit cum pristina molestiâ; & etiamnum durat.

II.

Afficitur in hac ægra superius os ventriculi; quod ex singultivo isto sono est manifestum.

III.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies viscida & acris superioris oris ventriculi, quæ nervos sextæ conjugationis ei implantatos vellicando, & influxum vehementem spirituum in illos identidem determinando, motum quendam convulsivum & sonorum stomachi, per vices subinde reiteratum, excitans, *singultus* dicitur.

IV.

Causa hujus morbi antecedens est acris & viscidus humor sanguini admixtus, qui certis temporibus in ventriculi os superioris effusus, illudque acrimonia sua vellicans, continens hujus morbi & singultuosi symptomatis est causa.

V.

Humor enim ille, ibi existens, inducit acrem & viscidam intemperie; quæ fibrillæ nervorum sextæ conjugationis, ventriculo & œsophago implantatæ, ita vellicantur, ut illæ suo motu, ad cerebrum delato, tales in cerebri ventriculis subinde aperiant poros, per quos spiritus animales, vehementius in os ven-



triculi superius influentes, fibras expulsionī per superiora faciē-  
de destinatas ita vicissim contrahant, ut aerem œsophago cōten-  
tum certis vicibus tanto impetu expellant, ut inde singultivus,  
sonitus frequenter oriatur. Discussio autem per motum sin-  
gultivum isto humore acri, cessat singultus; eoque denuo ad œ-  
sophagum delato, fit singultus reiteratio.

VI.

Infestavit molestum hoc symptoma puellam tota hyeme;  
quia frigus hyemale materiam illam acrem in corpore retinuit;  
& quia calor æstivus eam dissipavit, ventriculique calorem au-  
xit, ideoque totā fere æstate inducias fecit. Autumnali verò  
frigore jam redeunte, materiamque acré in corpore retinente,  
rediit singultus, magna frequentiq; molestiā puellam lassans.

VII.

Quia hoc malum tam diu duravit, metus est, ne porro  
pertinacius sit futurum.

VIII.

Curatio consistet in materiæ acris & viscidæ evacuatione, &  
intemperiei correctione. — IX.

Primò itaque sumat hunc pulverem purgantem:

*Rx. cremor. tartari scrup. j.*

*scammony opt. gr. xij. Misce. F. pulvis,  
cum pauxillo cerevisie calidæ exhibendus, & bis vel  
semel in septimana reiterandus.*

Post purgationem, utatur cerevisia in qua sequens puppa fue-  
rit decocta & macerata:

*Rx. sem. anethi, carui, portulacæ, papaveris albi an. drag. ij.*

*Contusa includantur linteo &. F. puppa,  
quæ decoquatur & maceretur in cerevisie tenuioris  
lib. j. de qua subinde haustus bibatur.*

Si malum perleveret, utatur hoc vomitorio:

*Rx. aq. benedictæ Rulandi, sive vini emetici unc. j.*

*Sumat calide.*

A vomitu utatur in contumaci malo his pilulis:

*Rx. pil.*



*℞. pil. de cynoglypha scrup. ij.  
 philony rom. scrup. j. Misce F. pilulæ  
 N<sup>o</sup>. xvij., dentur tres sub noctem.*

X.

*Invidtus ratione aer sit temperatus, cibus eupeptus potus  
 ex cerevisia tenui & amigdalatis.*

---

MEDICATIO MULIERIS  
 DIUTVRNO VOMITV  
 LABORANTIS.

I.

**F**Æmina quædam, 24. annorum, jam à triennio laborat  
 molesto vomitu; quo post singulos pastus omnem fere ci-  
 bum & potum assumtum, pituitâ viscidâ permixtum, evo-  
 mit: unde jam ad summam maciem est perducta. Adest  
 lumborum dolor, ad hypochondrium sinistrum sese extendens,  
 & febris lenta.

II.

Afficitur in hac ægra ventriculus; quod ex diuturno illo pa-  
 tet vomitu: item lien; quod ex dolore circa lumbos percepto,  
 & ad sinistrum hypochondrium sese extendente; item cor;  
 quod ex febris lentâ innotescit.

III.

Morbus, qui egram infestat, est ventriculi & lienis intemperi-  
 es acris & viscida, quæ, jam per triennium alimentorum alsu-  
 torum, per superiora, rejectionem excitans, *Vomitus diuturnus*  
 à Medicis appellari solet.

IV.

*Causa antecedens* huius morbi est colluvies humorum acrium  
 & viscidorum, in liene & vicinis locis existens; pars verò ejus,  
 li 3 in ventri-



in ventriculum sese effundens, *continens* hujus pertinacis morbi & symptomatum est causa.

V.

Nam acris & viscida illa materies, in ventriculum effusa, efficit, ut alimenta assumpta mox in acrem & viscidam materiam à ventriculo convertantur; qua nervus sextæ conjugationis, ventriculo implantatus, ita movetur, ut ex illo motu, ad cerebrum delato, isti in illo vehementius aperiantur pori, qui in fibras ventriculi, obliquè ascendentes, desinunt. Per illos itaque ita apertos, copiosiores in ventriculum influentes spiritus animales, illum, à cibo assumpto irritatum ita versus superiora movent, ut quicquid in illo continetur, paulò post eorum assumptionem, vomitu rejiciatur. Et quia, ob celerem illam ac frequentem alimentorum corruptionem & rejectionem, toti corpori justum nutrimentum subducitur: Hinc oritur illa macies, quæ torum corpus hujus ægræ occupat. Et quia pars istius corruptæ materiæ ad cor fertur, & malignitatem febrilem habet, hinc lenta illa febricula nostram ægram infestat.

VI.

Morbus hic, ob diurnitatem & corporis consumptionem, valdè periculosus est.

VII.

*Curatio* consistet in causæ antecedentis & continentis ablatione, & intemperiei, per contraria, correctione.

VIII.

Primò itaque educatur sanguis ex brachio dextro ad uncias quatuor vel quinque. IX.

Deinde per quindecim dies tali utatur jusculo:

*Rx.* rad. cichory, asparagi, rusci, buglosi an. vnc s.  
fal. agrimonia, ceterach., capill. veneris,  
pimpinella an. M. s.

*Coq.* cum pullo gallinaceo: In colatura dissolve cremor tartari dragm ʒ. F. jusculum, mane sumendum, & per sexdecim dies continuandum.

In



In quarto quoque iusculo infunde per noctem fol. sennæ  
dragm. iij., & colatura exhibeatur mane cum regimine.

Post usum iusculorum tali utatur semicupio per triduum;

℞. hordei integri,

amigdal. dulc. an. lib. j.

Contundantur & decoquantur in aq. comm. q. s. pro  
semicupio; quod ingrediatur tepide bis in die, mane sc.  
& sub horam quartam pomeridianam,

Postea utatur his pilulis per dies quindecim:

℞. chalibis cum sulphure preparati dragm. j.

aloes optim. fol. sennæ mund., rabarbari electi, aga-  
rici trochisc. an. dragm. ij.

Spec. electuarii diarhod. abbatis dragm. s.

croci orient. scrup. s.

Cum oxymel. simpl. F. Massa pilularum,

de qua capiat dragm. j. singulis diebus mane tribus horis ante  
pastum, postea deambulando.

Post usum pilularum reiteretur semicupium per quatridu-  
um vel sextiduum.

X.

Toto curationis tempore cibus sit euchymus & eupeptus;  
motus & somnus moderatus; vitet tristitiam.

---



## COROLLARIA.

1. **M**edicina non recte dividitur in theoreticam & practicam.
2. Sanitas non est Medicina finis perpetuus.
3. Physiologia in Medicina non recte vulgo traditur.
4. Fluentibus menstruis fetus potest esse sanus.
5. Venæsectioni quandoque superdormire conceditur.
6. Vulnerato corde, homo aliquandiu supervivere potest.
7. Semen non perficitur in testibus.
8. In corpore nulla datur attractio magnetica; quia magnes non attrahit, sed appellit ferrum.
9. Febris, quamvis morbus calidus, sæpe feliciter remediis calidis curatur.
10. In præfocatione uterina recte præscribitur Venus moderata.
11. In respiratione aer ob solam pulsionem, ingreditur pulmones.
12. Motus musculorum quamvis sit naturalis; est tamen etiam violentus.

FINIS.



00 A 6396


ULB Halle 3  
002 928 167



*St*









inferantur turundæ ex cotonæ factæ,  
ine fumarii, & aceto relaceo, im-

m rosaceum iu aures instilletur?

aceto madefactum, collo frigidè erit  
tibus adhibendum aliud linteum, aquâ  
â imbutum.

res brachiis & cruribus erunt injici-

hypochondriis & scapûlis sunt adhi-



30  
MEDICATIO DUARUM ÆGRARUM;

QUARUM UNA

SINGULTU;

ALTERA

VOMITV DIVTVRNO:

LABORAT:

QVAM

Divino adjuvante Numine,

SUB PRÆSIDIO

*Viri doctrinâ & experienciâ clarissimi,*

D. HENRICI REGII,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, & Medicinæ

ac Botanices Professoris Ordinarii,

*Publicè ventilandam proponit*

HIERONYMUS FRANCK, Leovardiensis.

*Ad diem 10. Martij horâ locoque solitis.*



*Natura & Industriâ*

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ IOHANNIS à NOORTDYCK, In Acad:

Typog. Anno 1649.